Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 197

Quelle:
Copyright:

LXXX. VII A. ii

89 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 306. f. max. Ineſt *Johannis de Hesdino Arteſii Ordinis Fratrum Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani Commentarius in Librum Job* ampliſſimus, in *Capita* XLIII. diſtinctus. Praeit *Index alphabeticus* rerum in eo contentarum. Sequitur *Probemium* apud nos mutilum, incipiensque ab his verbis: *in manibus Chriſtianorum non peruenerunt, ut dicit Jeronimus lib. de illuſtribus viris, fuit ille philo iudeus nacione, ciuis alexandrinus de genere ſacerdotum* &c. ſuppleri tamen poteſt ex *Sixti Senenſ. Biblioth. ſancta*, ubi tale ſtatuitur initium: *Usque in tempus ſuſtinebit* &c. licet Codices bini Coll. Navarraei juxta *Oudinum Commentar.* T. III. *col.* 1225. ſic exordiantur: *Quia ut dicit Caſſiodorus* &c. Jam Commentarius ipſe *ſcholaſtica phraſi*, teſte *Sixto Sen.* elaboratus hoc modo ingreditur: *Vir erat in terra hus nomine Job. habita diuiſione libri accedamus ad textum. Quis fuerit iſte Job dictum eſt. Terra Hus erat quedam patria in terra caldeorum denominata ab biis qui fuit primogenitus Nachor, ut dicitur gen.* XXXII. Sic vero terminatur: *Nam quis eſt alius noſter finis niſi peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis. Ad quod regnum nos perducat, qui in trinitate perſonali et una ſimplici deitate in eternum uiuit et regnat deus benedictus per omnia ſecula ſeculorum Amen.*

Praeter autores citatos meminere Noſtri, aliorumque ejus ſcriptorum Trithemius *de Scriptt. eccl. n.* 678. Fabricius *Bibl. med. et inf. Lat. edit. Patav.* T. IV. p. 83. Foppens *Bibl. Belg.* T. II. p. 658. Doctor Academiae Pariſinae circa an. 1390. claruit, nomenque patriae ejus ab aliis etiam *Hisdinium*, quin *Isdinium* ſcribitur.

LXXXI. VII B. ii

88 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 219. f. eleganti manu exaratus et rubricis diſtinctus continet ſine *Autoris* nomine *Exegeſeos de Pſalmorum Libro Partem* I. a *Pſalmo* videlicet I. ad *Pſalmum* LXVII. Fronti Codicis inſcriptum eſt: *Iſte liber eſt monaſterij Sancti Geori martiris Hertzognnburge Canonicorum Regularium.* Praefatio incipit: *Quoniam illo auxiliante ſine quo omnis actio et intentio caſſa eſt pſalterium incepturi ſumus.* Explanatio vero ipſa: *Primus pſalmus duabus de cauſis caret titulo* &c. Ultima verba in *Cod.* ſunt: *Et quia difficilem pſalmum ad intelligendum et prolixum tandem deo adiuuante peregimus. inde benedictus deus.* Sed alia manus rationem adjecit, cur ſingulis Pſalmis verſiculus *Gloria Patri* &c. ſubdatur hoc initio: *Iſte uerſiculus poſt unumquemque pſalmum cantatur. ideo ſcilicet. quia unusquisque pſalmus ſiue ſit exbor-*